



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Cap. I. Congeries sententiarum, quæ Tamburino imputantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

id, quod cavillatur Baronius cum eo, quod scribit Tamburinus. Admireris, prudens Lector, qua fronte aut deat quispiam aliquem carpere, quasi quid noxium is dixerit, excutendo partem. (non vero totum) ex iis, quae reprehensus cum prudentissimis limitationibus, commodissimeque explicationibus docet; in qua fronte addat subinde aliquid de suo, parum scilicet, in referendis sententiis, de necessaria fidelitate laborans. Non te diu morabor, iam absque longiore proemio operam aggredior.

Sed prius lege hic, probe & dictoria, quae Baronius praefert adversus innocentem praepceptorem meum, ut scilicet quò animo affectus is cum illo agat, ne sis nescius.

PROBRA, ET DICTERIA BARONII in Tamburinum.

A pag. 71. ad paginam 83. in titulo, & saepe. *Laxitates Tamburini, laxitates Tamburini, &c.*

Disp. prima sect. 5. art. 1. pag. 71. Opus Tamburini in Decalogum auctas exaggerat, quo habet OMNIVM Authorum liberiores, & periculosas opiniones.

Ibid. § 2. pag. 73. Ego sane, si ita (ut Tamburinus) de abdicatis, aut ad minus diminutis divinae legis praecipuis partibus sentirem, aut scriberem, viderer illam ex Scriptura sententiam: Vt qui dicitis bonum malum.

Ibid. pag. eadem. Relate opiniones (Tamburini) adeo à sensu totius Ecclesiae, ab aequitate humana, & à reverentia in legem divinam aliene, ut ex Curatis (Parisensibus) unus doctissimus in illas librum meditaretur, titulo ANTIDECALOGI cum hoc versu: Tempus faciendi, Domine, dissipaverunt legem tuam.

Ibid. pag. 74. Cum Curati Parisenses obtinuerint prohiberi Apologiam Casuisticam, frustra fore, moment tot Episcoporum censuras, & Facultatis Parisensium, summiq; Pontificis decreta, quae perniciosissimos errores, quibus sciet ille liber, damnarunt, si pari audacia liceat, eosdem errores etulgaré, & mutatis Authorum nominibus interpolare, id verò commisse, editione Tamburini Operis in Decalogum Lugduni facta, cuius plura exemplaria Parisios delata sunt, nec solum damnatos Apologiae errores eo libro contentos propugnari, sed addi atrociores, qui adeo ab omni aequitate, & pietatis sensu abhorreant, ut unus videatur scopus huic Authori (Tamburino) constitutus; nempe, comprobare, in quam cecitatem devenire possit mens humana, ubi relicto Fidei, ac traditionis lumine, ac tramite, suis se permiste cogitationibus abripi. Conqueruntur (videm Curati) non partem Religionis eo opere laceratam, sed totam funditus everit, &c.

Et paulo post. Illud etiam (videm Curati) conqueruntur legibus Ecclesiasticis, his maxime, quibus ieiunia instituntur, aversi pudendis, & ridi. uls (Deus me adiuvet. Ubinam in gravissimo opere Tamburini sunt haec pudenda, & ridicula?) Denique principia constitui iis corruptelis inducendis, & excusandis, quae adeo late pateant, ut nullum scelerum genus adeo insolens, & horrendum, quod his regulis defendi, & honestari nequeat.

Quare, ut moderatius, quam ferat rei atrocitas, loquantur, verissime pronuntiant, huiusmodi Ethicam (Tamburini) tanto studio per totum orbem sparsam minime Christianam esse, quandoquidem hominis Christiani bonam mentem exstinguit; nec Hebraeam, ac Pharisaicam, cum procul abiciat, quam Iudaei summe colebant legis litteram & externi hominis probitatem, quam Pharisei praeferebant; nec debere Philosophicam, & humanam dici, cum insensa sit aequitati naturali, Fidei humana, & sensui communi, quibus Philosophia humana, ut certis regulis, adharet; nec Civilem, au Politicam esse censendam, cum Societatis humanae fundamenta convellat; & qua huiusmodi Ethicam admittent Regna, & Imperia, brevi, depulsa omni lege, & fide, mutis Civium odiis fraudibus, & cadibus sint peritura: Quare nullum aliud superesse, quo munceperit, nomen, quam illud Iacobi. Non est ista sa-

piencia de sursum descendens, sed terrena, animata. Haec Curati Parisenses de opere Tamburini.

Ibidem eadem pag. Summus Pontifex sua censura, ne damnavit Apologiam (illam Casuisticam) quae malis causis, minusque licenter agit, quam Tamburinus.

Ibidem pag. 76. Inde vides, eruditè Lector, quod tamdem Tamburinus promoveat probabilissimam iura, & vulgum Theologorum, saltem à Societate, probabilissimè legi, extra omnes, ne dum veritatis, sed etiam similitudinis veri fines, periculosus laxasse.

Ibid. eadem pag. Tamburinus aliorum consilia, & labores corrumpit.

Ibidem pag. 77. Quid ad haec Tamburinus? Nulli istos qui insituti Authores moratur: uno eandem ac principii saltu transiit hos quatuor gradus ab illis accensuratos, & veluti aggeres ad legis, & salutis defensam oppositos hominum cupiditatis, uno impetu amittit, & deturbat.

Ibidem pag. 78. Quis non obstupescat, ista doceri tanta fiducia, & assecuratione, ut Tamburinus nihil dubitet certiora asserere, quam ut sua discussione indigant, & habuisse laudatorem (Theophilum) qui scripsit ea sua Theologiae basi exquisitè Tamburinum bonis moribus consuluisset.

Ibidem pag. 79. Ne mireris Lector Tamburinum à ceteris omnibus in sua probabilitate constituenda, distare, cum nec secum conveniat. Nullum est certius falsi argumentum, quam à se ipso discentire. Non caret hoc virum Tamburinus, & cum ferè omnes deseruerit, sibi ipsi respondet, ut inde agnoscat omnes, quam periculosam sit, hanc ducentem sequi.

Eadem disp. 1. sect. 5. art. 3. §. 13. pag. 91. Sed multo liberalior, & laxior Tamburinus, videtur suae se fore scilicet, ut quae praecesserant Authorum laxitates, omnes superaret.

Et paulo post. Nec dubito quin (Tamburinus) vult videri, quasi in laxandis conscientis gloriam, & singularitatem affectasse.

Haecenus Baronius falsissimè, ut sequens opusculum legenti patebit.

Haec autem volui simul colligere, ut si quid in consequentibus sese offerat feverè à me dictum contra adversarium, videat Lector, comparatione facta cum iis, quae ille contorquet, quam parce ego egerim cum ipsis, quam liberè ipse contra praepceptorem meum.

CAPVT PRIMVM

Congeries sententiarum, quae Tamburino imputantur.

1. **V**bi Baronius modo relata Theophili approbationem damnavit, ut damnationis testimonium ostenderet, in medium profert disp. 1. sect. 5. art. 1. §. 1. fol. 71. Propositiones non paucas, quasi à Tamburino in suo Decalogo scriptas, atque à Theophilo perperam approbatas. Et profecto eo modo, quo Baronius, ut plurimum, illas refert, censurandae omnino essent; verum, ut eas Praeceptor meus docet, nonnulli maxime commendandae.

2. Affirmamus ergo prius integrum Paragraphum, in quo veluti unico contextu ab Inpugnatore illa, proet ipsi placuit, hoc est infideliter traduntur; nam deinde eadem erunt à me separatim distinguendae, & cum germana Tamburini doctrina conferendae, quo pacto, studiosus, nullo negotio, unius veritatem, vel alterius falsitatem, assequetur.

Baronius d. llo. §. 1. sub hoc titulo. (Neutrum carit laxitates Tamburini) sic eas proponit.

3. 1. In primis omnimodum securitatem asserit lib. 1. in Decal. cap. 3. §. 3. nullibet opinari, etiam tenuissime probabilissimè,

probabilitatis, quam sequeris unius Authoris suffragio fultus, omisso rationis, communis, etiam in articulo mortis.

II. Præcepta Charitatis, Fidei, Spei, Cultus Religionis, aliarumque Virtutum inter Christianas præcipuarum omnino tolli, aut quod perinde est, vim illis auferri, vel unum actum amoris Dei per totam vitam exigendi, etiam instante morte; quod verbis expressis tempus, & momentum non designent quo illi actus sint eliciendi, aut viæ Christianæ prima institutione, aut illius progressu, aut ad finem.

III. Et quam Christus vult esse perpetuam, & nunquam interruptam ad Deum Patrem orationis necessitatem ferè negat.

IV. Et inter orandum, liberam mentis distractionem permittit, etiam dum interis Sacram.

V. A quo eximit eos, qui avidius lucro inbiant, quod illis periret, si ad Missam accederent.

VI. Quid putas alia præcepta curaturum, qui parum pensi habet omnium maximum Charitatis in Deum, Orationis, & Cultus divini?

VII. A ieiunij lege eximit omnes artifices, & ferè coniugatos.

VIII. Officium celendi Patrem filiis remittit; si probabiliter putent, matrem coniugis fidem non admodum sanctè servasse, & se ex adulterio putasse nasci.

IX. Indulget etiam illis ius inveniendi matrimonium cum dispari, Patre in consilio, & invito.

X. Permittit vota paternæ mortis, ut vacuum hereditatem adeant.

XI. Nec minus liberalis est in Reges, quam in Privatos; dat illis ius belli, si aliqua illis faveat probabilitas ex iure in eum, qui parem, aut maiorem habet probabilitatem rei possessæ adimendam.

XII. Habet etiam rationem subditi: eximit illum à reſtigali, cuius non habet competentem æqualem.

XIII. Non sunt expertes eius liberalitatis, & Beneficentiarum Indices. Quia omnia profert ex inexhausto Probabilitatum Theſauro, & Promptuario.

XIV. Inde asserit, illis ius verum omnium, quatenus apud ipsos movetur, ut visum fuerit, abdicationis, & adiudicationis; quam vendere quæ velit, cum sit gratuita, & arbitraria?

XV. Qui adeo largus est in Iudices, non est parcus in fures, & in reos; permittit, instante gravi necessitate, cuique non solum propria occultare bono publico, sed etiam aliena surripere.

XVI. Si reum vitæ, & carceris tedeat, potest, illo auctore, sibi falsum crimen imponere, morte mactandum.

XVII. Potest idem in testem iniquum, idque citra omnem iniustitiam; imò citra culpam mortalem, & forte etiam venialem.

4. Advertis, quantum scelerum auctorem facit Tamburinum Baronius? Si quis imagine auctoritatis viri parique virtutis in civitate aliqua degeret, ob multa in Reipublicæ bonum præclare gesta, notus omnibus, ac Somanis, Mediis, Infimis apprime carus: adisset autem inibi quispiam eius illustri viri invidus æmulator (cuiusmodi bonorum hominum oppugnatores deesse nunquam solent) qui late per urbem disseminaret, illum esse homicidam, adulterum, incestuosum; Quis rogo, vel ex numero plebis, non sanctè iuraret, hunc mendacem esse, & calumniatorem, quique in hunc ferè modum non exclamaret? Ergone tantæ virtutis, atque innocentie vir, in quo tot annos, ne levem quidem vitæ labem animadvertimus, imò Angelicos mores, admirati sumus semper omnes, homicida, adulter, incestuosus audiet? Apagæ tanta hæc scelera in virum optimum contrita, esse nimis manifestè calumnias, putandum est. Profecto, simile quid de meo præceptore (date Amanti veniam, lectores) sic proferam disertè.

Tamburinus adeo ab ipsis penè incunabilis pius, ut vix decimo sexto ætatis anno coopari in Religiosum Societatis Jesu Ordinem obtinuerit; adeo doctus, ut

Rhetoricam, Philosophiam, Theologiam Speculativam, & Moralem per annos pluraquam viginti in Panormitano, ac Missanensi Collegio, atque, in hoc, studiorum Præfectus, cum plausu, docuerit; Adeo prudens, ut ex Superiorum imperio Collegium Caltanissetense, Montis Regalense; Missanense, Panormitanum gubernaverit; Rursus adeo doctus, & prudens, ut à tota Sicilia Provincia, ad gravissima negotia Congregationis Generalis Societatis Jesu Romæ pertractanda, electus fuerit; Præterea, adeo doctus, prudens, & pius, ut in Tribunali Sacræ Inquisitionis huius Regni Qualificatoris, & Consultotis munere fungatur; Tamburinus, inquam, tantorum scelerum, quanta Baronius, uno firmè spiritu, accumulatur, Reus erit? Apagæ. Calumniæ hæc calumniæ torem nimis aperte condemnant. Sed, quæso, ne verbis, & amplificationibus exultemus? dividantur prædictæ imposturæ, & ex uno multa facientes, singula Baronij dicta cum germana Tamburini doctrina conferamus.

CAPVT II.

De Qualitate Probabilitatum.

1. BARON. IN primis omnimodam securitatem asserit (Tamburinus) lib. 1. in Decal. c. 3. s. 3. cui libet opinioni, etiam tenuissimæ probabilitatis, quam sequeris, unius Authoris suffragio, omnia rationis, communis, etiam in articulo mortis.

2. Vides, quam ieiunè, quam indistinctè & sine explicatione ulla hæc refert Baronius? Ad, nunc Tamburinum, & eius germanam Doctrinam agnosce.

TAM. Num. 3. Jam vero, qui aliud operatur (ait lib. 3. in Decal. c. 3. s. 3. n. 3.) motus ex opinione probabilis, bene operatur, & sine peccato; quia in humanis, ut cum prudentis, quæ est certa regula humanarum actionum, operamur, non nisi probabilitas necessariò requiritur. Id quod via certum est, & ita à Doctore Vtroque Sanchez l. c. Caltrop. tom. 1. tr. 1. d. 1. p. 2. Valq. p. 2. d. 62. c. 4. n. 8. M. roll. tom. 1. d. 3. c. 4. d. 1. & novissimè Bardi contra Philalet. de cons. d. 4. c. 10. comprobatur ut nostra discussione non indigeat, etiam opinione probabiliori relicta ex Caltrop. loc. cit. Joan. Sanch. d. 42. num. 12. etiam omnia ratione ex iisdem ibid. etiam communi iuxta Caltrop. l. c. n. 1. Tom. Sanch. l. 1. in Dec. c. 9. num. 9. etiam in articulo mortis cum Joan. Sanch. d. 19. num. 8. Pasqualig. Dec. 27. quia dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, iuxta Pasqual. dec. 20. Bassit. Franciscum de Amico apud Bardi l. c. cap. 13. modo à probabilitatis finibus non excutitur, ut explicabitur mox num. 11. sine, conf. aliquid agimus, semper prudenter agimus. Neque obstat, quod in dubiis tutior pars sit eligenda, nam (præter alia) nos hic sumus in probabilitate, non in dubiis.

4. Si hos Doctores hic laudatos legit Baronius; ut certè legisse puto, eam solum censuræ subiecit Theophilum, qui Tamburinum laudat, præterit autem tot insignes Theologos, qui idem tractantes Tamburini doctrinam approbant? & quod peius est, eam suggillat Tamburinum, perinde quasi ipse unus isthæc docuerit?

5. Rursus, Baroni, cur exscribis (opinandi etiam tenuissimæ) cum Tamburinus scribat (tenui)? quamvis enim videatur alicui, parum inter hæc discriminis intercedere; tamen animadvertito, in ipsis primis cavillationibus aliquid de tuo te voluisse superaddere. Sed de hac tenuitate mox n. 8.

6. Præterea cur illud (quam sequeris unius Authoris suffragio tam fagide, & mutilatè retulisti? quod, quidem sic diminuat dictum merito damnandum est, quemadmodum SS. Pontifex Alexand. VII. in decreto S. Congr. dato anno superio. 1665. damnat propositionem illam; Si liber sit alicuius Iunioris, & Moderni, debet opinio censi probabilis, dum non constat reiectam esse